


DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Decembris, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. FRANCISCO-BERNARD, Gallico Idiomate Chirurgiæ Professore designato, Doctore Medico, Præside.

An Venæ sectio minùs timidè, purgatio magis cautè, quàm vulgò fit, adhibenda?

I.



BEATUS æger ille, cui Medicus astat, indicantium & vetantium attentus æstimator; qui naturam laborantem perito oculo observet, & impotentem adjuvans, hanc imprimis sufficientem spectare & finere noscat; qui non minùs sollicitus, ne noceat, quàm ut prosit; non à noxiis tantùm, sed ab inutilibus etiam sibi commissos servet. Sic non ægro in exitium, non Medico in opprobrium, vertet artis applicatio, nec lugenda veniet mors, undè salus quærebatur. Verus imò ille

Medicus recto Medicinæ usu nata quotidiè ex abusu mala redimet & compensabit. Non ille cuiquam nimis methodo aut opinioni fidet & addictus erit, nec ullum remedium, calefaciens, refrigerans, &c. plus æquo celebrabit. Non imprimis, ex eo quod purgantibus per emesim aut catharsim tàm fausti quotidiè tàmque mirabiles debeantur effectus, fucum illi faciet magna horum utilitas & frequens efficacia; sed in dies prudentior ex observatione factus, deplorabit quòd tam sæpè in tàm multorum perniciem adhibeantur. Nimirùm tristia passim temerariæ vel incautæ purgantium applicationis vestigia occurrunt. Passim videre est in acutè ægrotantibus, quantùm illorum usu præcipiti, nimis continuo, vel nimis violento, natura perturbetur, symptomata exasperentur & in mortem ingravescant. Non minùs chronicè affectis sæpè funesta fiunt; quippè his aliquando cum levamen illa afferant, ex illis hi continuò medelam quærere solent; sed plerùmque, dùm saburram perpetuò renascentem expurgare non cessant, ventriculum lacessendo naturam jam languentem magis debilitant, malo malum addunt, vitæque, magis quàm morbi, fontem exhaurientes, fatalem sibi horam, secùs fortè removendam, infelices accelerant. Si quandò à Medicis de nimiùm iteratæ purgationis inutilitate aut periculo moneantur, adsunt Empirici, Medicastri, è pilulis, pulveribus, opiatis purgantibus, miracula promittentes, qui credulos in tumulum perfidè præcipitant. Sic miserabili fato fortè non plures ægros artis prudentia purgantium usu sanat, quàm horum abusu occidit ignorantia & temeritas.

Nec minùs deplorandus est circà venæ sectionem error contrarius; nimirùm ab illâ omissâ, vel tardiùs aut parciùs adhibitâ, sæpè quot malorum, quot funerum origo! horrescit mens cogitans quam multi, quos incolumes vena secta servavisset, aut restituisset, non sectæ pœnam luentes, vel citâ morte oppressi perierint, vel in longos servati dolores, internis abscessibus cerebrum, pulmones, viscera erodentibus, tabe lentâ consumpti sint.

Nil igitur optabilius, quàm ut, plerorumque mutatis opinionibus, venæ sectio minùs ægrè, purgatio magis cautè adhibeantur; nec proindè quidquàm hîc nostri muneris magis esse videatur, quàm ut, errori doctrinam opponentes, quid hæc duo primaria Medicinæ instrumenta in corpus agant, inquiramus; quid de hoc vel illo, adhibito aut omisso, quotidiana doceat experientia, expendamus; sic desumptis, tùm è theoriâ, tùm è praxi, argumentis demonstrare enitamur à venæ sectione minùs, à purgatione magis, quàm vulgò fit, metuendum & cavendum esse.

I I.

MULTIS quidem quotidie sine indicatione, sine utilitate sanguis educitur; neque hîc diffiteamur aliquando sectâ venâ vel morbum graviorem, vel ipsam mortem sequi. Vice-versâ innumera sunt ægrotantium exempla, quos jam jam morientes ex Orci faucibus ad vitam revocavit feliciter imperata vel alvi subductio, vel præsertim vomitio. Hinc plerique argumentantur & suum errorem fovent. Illos deludente veritatis umbrâ, sanguinem, utpotè utilem, non satis servare; saburram, utpotè noxiam, non satis eliminare se posse arbitrantur. Quidam, quasi eò plùs vivant, quò plùs sanguine turgent, ne vel semel sibi unquam venam secari sinunt; cùmque facilis esset minuto sanguine illorum curatio, imprudenter hoc servato, mole obrui, inflammari, suffocari malunt. Alii non adeò rationis expertes, unam quidem aut alteram sectionem patiuntur, sed si, morbo non cedente, sanguinem ultrà mittendum esse præscribatur, jam Medicus apud multos

non medentis, ſed jugulatoris vices gerere videtur, & plerùmque vel invitis ægris miſſio iteratur, vel non iteratâ primarum ſectionum fructus perditur. Alii tandem meliore ſorte digni, dociles, ad quæque parati, ſalutem in ſanguinis miſſione, quantùmlibet præſcribendâ, libenter quærerent; ſed non habent præſcribentem. Vel deeſt illis Medicus, vel qui adeſt, ſanguini nimis parcens, morbo frænum injiciendi modum & tempus negligit, jamque fugiente occaſione, mox illi debellando imparem ſe dolet.

Dùm ſic omittitur promptum, efficax, ſæpè unicum, auxilium, funeſtæ omiſſionis damnum perperàm adhibitis purgantibus ſæpè adhuc augetur. Nimirùm vulgò adſunt oris amaritudo, linguæ ſordities; hinc plerique cum ſaburrâ morbi cauſam expellere ſe poſſe confidentes, repetito pharmacorum hauſtu, tùm emeſim, tùm catharſim, intrepidi cient. Ad indicantia ſolùm attendentes, & de vetantibus minimè ſolliciti, nil niſi evacuandos humores conſiderant, nec undè aut quos effectus producendo evacuentur, ullam rationem habent. Intereà morbo ſtimulus additur: fluida jam turgentia magis effervescunt: ſolida jam nimis tenſa magis conſtringuntur: indè brevì diverſis in partibus per capillaria immeabilitas, inflammatoriæ ſtaſes, phrenitides aut comata], anginæ, peripneumoniæ, &c. tandem mors, erroris opus. Sic omiſſis non omittendis, & adhibitis non adhibendis, pereunt innumeri, qui facilè ſervarentur. Minùs ergò timidè ſanguis detrahatur, & minùs ſecurè moveatur alvus. Huic certè præcepto nemo non obtemperabit, ſi Medici ſemper ſatis meminerint, & ægris hìc oſtendatur 1°. purgatione, quàm ſanguinis miſſine, noxam eſſe faciliorem; 2°. eſſe etiam frequentiorem.

III.

ATQUI 1°. cuilibet attendenti facilè innoteſcet purgationem faciliùs, quàm venæ ſectionem, ægris detrimento eſſe. Scilicet hìc non agitur de venæ ſectione, quoàd ſectionem ipſam, ſeu vulnuſculum lanceolâ factum, conſideratâ. Sub hoc certè reſpectu quàm parùm ab illâ metuendum ſit, & quàm immeritò nonnulli ab eâ tantùm abhorreant, abſit ut hìc quæſtionem moveamus. Supereſt igitur, ut quoàd imminutam ſanguinis quantitatem difficilè etiam ab eâ damnum ſequi poſſe cuique pateat. Jam verò quàm copioſus abſque vitæ periculo ſanguis educi poſſit, quotidie argumento ſunt 1°. innumeræ mulieres e puerperio, abortione, aut quâvis aliâ cauſâ, immodicas & vix credibiles hæmorrhagias paſſæ, deinque, jacturis facilè reparatis, in eumdem corporis habitum priſtinamque ſanitatem brevì reſtitutæ. 2°. Nonnunquàm ex amplis vulneribus tanta ſanguinis quantitas effluens, ut eo penitùs exhauſta vaſa videantur, & ferè nil niſi ſerum in exangui & pallido corpore ſuperſit, vitâ tamen conſervatâ, deindèque, ſæpè non multò poſt, omnibus ſanitatis ſignis æquam ſanguinis copiam in prioris locum jam elaboratam eſſe indicantibus. 3°. Ipſa venæ ſectio in magnis membrorum fracturis, contuſionibus, aut partium concuſſionibus, aliquando ferè venas vacuans, ægris indè nullum, vel ſaltèm minimum & reparabile, detrimentum paſſis. 4°. Illa tandèm venæ-ſectio quotidiè ab imperitis ſine indicatione, ſine neceſſitate in uſum vocata, ſæpiſſimè ſine infauſto eventu.

Ex his certè omnibus quàm amplus ſanguinem mittenti campus, felixque ſit nocendi difficultas, facilè eluceſcit. Aliundè verò vel ſanguis æquo abundantior eſt; vel in æquâ proportione, tùm ratione molis, tùm ratione voluminis corporis vaſa alluit; vel tandem æquo minor eſt illius quantitas. In primo certè caſu

noxia esse non potest illius imminutio ; eò magis contrà juvat, quò magis vel plethorâ universali totum corpus, vel particulari pars aliqua gravabatur. In secundo casu inutilis fortè erit ; sed tunc etiam sanguine semel, bis, ter aut quater educto, minimè tamen in corpore periculosa fiet immutatio ; cùm enim illius imminutionem singula vasa participent, in singulis illa ferè nulla percipietur. Illorum alveos vi elasticâ coarctante, eadem inter imminutam illorum capacitatem & imminutum sanguinis volumen proportio remanebit, eadem reciprocitas, idem æquilibrium servabitur. Imminuetur fortè ob minorem secretionum materiem functionum energia, sed peragi pergent illæ functiones, & quàm difficilè ob sanguinis defectum penitùs aboleantur, suprà enarrata probant. In tertio tandèm casu, cum vis vitæ jam langueat, à mittendo sanguine abstinendum erit ; sed vulgò non adest sanguinis penuria, nisi in iis, vel quibus ille nimis aut venæ sectionibus aut hæmorrhagiis effluxit, vel qui inediâ confecti sunt, vel qui chronico morbo affecti pauca vix ingerunt, aut multa ingerentes tùm digestionis, tùm hæmatosis, beneficio carent. In iis autèm omnibus quem Medicum vel etiam medicastrum circumstantiarum cognitio, ægrotantis aspectus, pallor, debilitas, à venâ secandâ non facilè deterreant ? Vel igitur sanguine misso noxa difficilis est, vel ubì facilis esset, ut plurimùm præcavetur.

Mirum est imò quam facilè purgatio corpori detrimentum afferat. Nimirùm purgantia, si malè eligantur, vel intempestivè adhibeantur, primariâ suâ actione ventriculo & intestinis nimiam vim inferunt, in illis phlogosim aut inflammationem accersunt ; nervorum in illorum superficie disseminatorum vellicatione cæteros corporis nervos sympathicè irritant ; indè vasa capillaria constrictione arctant, circulationi sic obices creant, innumeris indè pendentibus malis occasionem præbent : secundariâ verò actione, cùm scilicet in secundas vias illorum pars transmissa est, totam humorum massam agitant, rarefaciunt, incendunt, sic per capillaria circulationis impedimenta, variosque ex his pendentes effectus augent. Jam verò in illis eligendis vel applicandis facillimum esse errorem arguunt 1°. illorum natura & vires vix Medicis, ut par est, perspectæ, ideòque tàm multorum empiricè illis utentium captum fugientes. 2°. Interna corporis dispositio Medicis ipsis, etiam sagacissimis, sæpissimè non satis cognita, proindèque tot ignaris purgare satagentibus necessariò ignota. 3°. Tandem frequentissima ab illorum usu mala.

Ergò 1°. purgatione, quàm sanguinis missione, noxa facilior est.

I V.

2°. ILLAM etiam frequentiorem esse clinicis quotidie probat experientia. Nimirùm cum ad ægros graviter & jamdiù laborantes accersuntur, sæpissimè, è rerum præteritarum narratione præsentique morbi statu vel omissæ venæ sectionis, vel intempestivæ purgationis, vel utriusque vestigia agnoscunt, frustràque, ut plurimùm, tùm hujus, tùm illius, effectibus mederi tunc conantur...... In Nosocomiis, si ægrotantes, præsertim chronicè, audias, morborum initia, vel saltèm augmenta, sæpissimè ab hausto aliquo purgante pharmaco repetunt, de venæ sectione nunquàm, aut saltem rarissimè, sermonem faciunt..... Plurimi, præsertim inter miseros illos, qui pulmonis, aut aliâ tabe exesi, lentam mortem accusant, interrogati quomodò & quandò ægrotare cœperint, sic ferè semper Medico respondent, ut hic facilè intelligat, aut eos imprudenter medicamento

draſtico alvum ſibi moviſſe, aut a venæ ſectione, licet illam tuſſis & pectoris dolor indicarent, temerè abſtinuiſſe..... Non rarò occurrunt, qui, cùm Medicorum conſilia dedignentur aut negligant, medicamenta quædam ab agyrtis aut mulierculis prædicata hauriunt, illis modò immodicè, modò nullatenùs purgantur: dein canalis alimentarii functio læditur: naſcitur in illo, ſi non gravis, ſaltèm tacita inflammatio, dein ſuppuratio: ſequitur languor: ignoratur mali cauſa: appetitu deficiente ab iteratis purgationibus medela quæritur: remedio fit mali irritatio: tabeſcit æger, flaveſcit: intumeſcit pedibus, mox etiam abdomine: tandem, culpam ſæpè nemine ſuſpicante, illius pœnam miſerrimè luens perit..... In quibuſdam illa non levis, ſed ità gravis eſt inflammatio, ut nullam medelam accipiat: à quolibet aſſumpto ventriculus offenditur: ut medicamenta, ſic eum alimenta lædunt: vomitu rejicitur quidquid temperare, lenire & nutrire poſſet: brevi ruit, quaſi veneno obruta, animalis œconomia..... In quibuſdam imò nec ad citam nec ad lentam mortem gravis eſt illa inflammatio vel phlogoſis; ſed ex eâ illi flatulentis, ſpaſmodicis, melancholicis, affectibus obnoxii, vitam ſæpè trahunt morte triſtiorem..... Sæpè quoſdam videre eſt, qui per aliquot dies non benè ſe habent: capite laborant: quibuſdam intervallis eo malo liberantur, iterùm eo vexantur: occultè febricitant: de quâdam ſolùm membrorum laſſitudine queruntur: malo nondùm victi ſolitis officiis vacant: de regnante ſæpè epidemiâ minimè cogitant, nec vel levem morbum ſuſpicantur: ne omninò ægrotent à venæ ſectione cavent; ſed ſemel aut bis, quaſi per cautelam, alvum ſibi movent: ſtatim hoſtis in inſidiis latens, injectis ſibi telis magis ferociens, jam apertis armis corpus dirè laceſſit: febris ardet intenſior: incendio generali cuncta organa inflammantur: ſanguine non ſolvendo capillaria obruuntur: fruſtrà in medicinâ, ſeriùs paratâ, quæritur auxilium: qui de illorum ſorte modò ſecuri erant, jam miſeros lugent improviſâ morte raptos.....

Cùm in pleriſque febribus poſt venæ ſectionem vomitio ut plurimùm mirè proſit, ſæpè hinc evenit, ut Medici, vel ſæpiùs qui illorum vices gerunt, ad quaſdam particulares circumſtantias, cardiacam præſertim regionem ſpectantes, non ſatis attendendo, ſolitæ methodi pravâ imitatione, potiones emeticas ægris propinent, ſicque illis non medicabile detrimentum afferant: indè nempè oriuntur circà dictam regionem, aliquandò inflammationes, ſæpiſſimè phlogoſes, eò magis funeſtæ, quòd plerùmque ignorentur: hæ dein ab ingeſtis facilè exacerbantur: vel leniſſima purgatio læſionem renovat & auget: febris ultrà limites longè protrahitur: læſæ partes abſcedunt: ſuppurationes tandèm citiùs aut tardiùs in mortem deſinunt; & ſi fortè natura morbum factitium cum naturali vincat, tunc medenti, potiùs certè damnando, ipſa morbi longitudo in injuſtam laudem vertit, & ex malè geſtis illi fama creſcit. Hæc profectò mala cuique clinico contigit obſervare in teneris & gracilibus, in iis quibus aut hæmorrhoidum aut menſtruorum ſuppreſſio particularem vaſorum abdominalium plethoram induxit, & præſertìm in quibuſdam virginibus, florente juventâ fervidis, inſtante menſtruorum fluxu, vel æſtu quodam venereo, præter generalem, quemdam particularem in hâc regione orgaſmum inducente; neque talem, non ſolùm emetici, ſed etiam catharticorum abuſum, longè, quàm vulgò creditur, frequentiorem eſſe aſſerere hìc dubitamus.

Nuſquàm verò magis aſſerti veritas patet, quàm dùm apud ruricolas epidemici morbi ſæviunt. Ferè enim ubique in his epidemiis ea ægrotantium & ipſorum artis miniſtrorum cæcitas eſt, ut à venæ ſectione pertinaces abſtineant, purgantibus verò malè ſecuri libentiùs utantur; ſic ex duplici causâ ſanguis jam exundans magis adhuc incandeſcit & æſtuat; mox inflammatoriâ ſtaſi, vel in cerebro vitæ

principia ; vel in pectore vitæ organa, vel in abdomine vitæ subsidia, opprimuntur, & citò sequitur mors ineluctabilis : sic, v. g ; innumeris aliis omissis exemplis, mensibus anni 1768 autumnalibus, cùm in vico, *Noisi-le-Sec*, non procùl Parisiis, febris anteà mitis & ferè impunè grassans, putrida, petechialis, & sævior facta esset ; & ex duobus Chirurgis plerique ægrotantes illi se committere mallent, qui sanguinem nullatenùs aut parcè admodùm mittebat, quotidiè ignorantiæ, timiditatis & systematum victimæ occumbebant : magnum sui præsertìm desiderium reliquerunt, intrà unius hebdomadæ spatium tristissimo fato functæ, septem robustæ virgines, viginti circitèr annos natæ, parentum & vici spes ; illis nempè proptèr ætatem, temperamentum, & febrilem rarescentiam, sanguine turgidis, ne vel semel venam speciosè prudens & blandiens Chirurgus secabat, purgationi verò temerarius indulgebat : quinto, sexto, septimo die, vultu, oculis intensè rubentibus, suffocatæ, strangulatæ peribant ; vixque mortuis illis per os, nares, aures copiosè nigrescens sanguis effluebat. Similia certè mala passim clinicis occurrunt ; & si fortè sanguinis in quorumdam perniciem nimiùm effusi non aliqua exempla desint, certissimè rara sunt, & quàm paucissima nos vidisse meminimus.

Plura quidem referre hîc in promptu esset ; sed hæc sufficiant ad probandum 2° purgatione, quàm sanguinis missione noxam esse frequentiorem.

V.

EX præmissis ità evidentibus facilis est conclusio ; sed objicitur : Nil in praxi frequentius quàm post venæ sectionem morbos in pejus mutari, vel etiàm illi vix celebratæ citam mortem succedere : illâ adhibitâ, saburra e primis viis in secundas aspiratur, sic novum febri pabulum transmittitur & oleum igni additur. Contrà mirum est quàm felici successu cathartica aut emetica sæpissimè adbibeantur, ubi nullum venæ sectiones levamen attulerant. Inter Medicos multi, nec infimæ notæ, purgatione, si non singulis, saltèm alternis diebus celebratâ, continuas, putridas, malignas febres curare solent. Jamdudùm apud plerosque, tartaro stibiato in potulentis soluto, continuas evacuationes in illis febribus ciere solemne est.

Hæ certè contrà thesim malè objectiones militant. 1°, Ipsi quidem agnoscimus non omnibus & semper sanguinis missionem prosperè succedere. Nimirùm sæpissimè serò nimis &, quandò jam de ægro conclamatum est, in usum vocatur. Tunc quidem non prodest, sed non illi damnum attribuendum est : quæ detracto accidit, non minùs servato sanguine mors accideret. Aliundè illam ab omni vituperio, aut imputatione vindicare non nobis hîc animus. Sufficit si rariùs & difficiliùs, quàm purgationem, nocere illam pateat.

2°. Speciosum quidem est argumentum è saburrâ in venas ob vacuum venæ sectione factum affluente desumptum ; sed 1°. præscripto ut plurimùm post primas venæ sectiones emetico, frequentique enematum usu ab hoc affluxu ipsi cavemus. 2°. Minùs metuendum est ne saburræ pars aliqua in sanguinem transmittatur, quàm ne vasa nimiùm turgescant. Priori quippè malo sanguinis ipse motus, modò liber & expeditus sit, crassa & impura terendo, attenuando, assimilando, continuò medetur. Posterius verò malum idem motus magis ac magis auget, periculosumque reddit. 3°. Tandèm quàm parùm Medici de illo affluxu solliciti esse debeant quotidie demonstrat felix eorum successus, qui sanguinem citò mittunt & non nisi tardè purgant.

3°. Nobis ipsis non semel emeticorum & catharticorum divinam quasi effica-

ciam, ubi res desperatæ videbantur, mirari contigit. Sic v. g. cum multi gravi peripneumoniâ, aut acutâ pleuritide, affecti nullum ex iteratis venæ sectionibus fructum perciperent, illis excitatâ emesi, sputa cruenta cessarunt, respirationis difficultas evanuit, febrisque temperata est. Duplex nempè fuit emetici beneficium; nimirùm ut evacuans, ventriculum & intestina, præsertim coli arcum, turgescentiâ suâ pectus sursùm comprimentias, expedivit, liberavit; ut succutiens verò circulationem in pulmone aut intercostalibus vasis imperfectam & suspensam restituit: sic duplici actione parti oppressæ libertatem reddidit. In nonnullis, cum debilis constitutio, pectorisque conditio emeticum non sinerent, sæpè lene catharticum turgescentem saburram è primis viis verrendo, & fermentativas intumescentias, quas sæpè emulsiones, serum lactis, oleosæ potiones produxerant vel auxerant, compescendo, feliciter etiam pectori sua jura revocavit. Sed ad hos tam mirabiles effectus anteà venæ sectio pectora præparaverat, certèque, illâ neglectâ aut non satis adhibitâ, vel illa purgantia applicandi locus non fuisset, vel ex illis nullam ægri utilitatem duxissent.

4°. Multi reverà Medici, non omissâ quidem sanguinis missione, in febribus suprà dictis ferè continuò alvum movere solent. Singulari admodùm methodo alternis diebus juvant & nocent: alterâ scilicet die naturam spectando morbum mitescere sinunt; alterâ verò, quasi non audeant videri inutiles, naturam purgatione vexando, eumdem morbum irritant. Sic ille ut longior, ità gravior fit. Non pauci succumbunt: multi, cum in illorum salutem potu copioso & naturæ beneficio corrigantur errores, feliciter convalescunt; sed profectò longè plures sanabuntur, si Medici illi jam à primo morbi insultu, sanguine pro symptomatum gravitate misso, saburrâque, præsertim emesi, eductâ, sic duplici evacuatione febri arma & naturæ impedimenta detrahere properent; deindè sedulò caveant ne ullâ purgatione naturæ laborem turbent; in statu, si nimis furat morbus, ad venæ sectionem redeant; dein unicè curent ut potibus aquosis, lenientibus, copiosè haustis, tùm fluida temperent, tùm solida relaxent; frequenti enematum usu facili & levi fluxui faveant; tandem pacatâ febrili fermentatione, cum fœces à mero liquore secretæ sunt, coctioque, ut aiunt, perfecta est, sentinam corporis purgatione, ut par est, iteratâ verrant. Ex illius certè methodi feliciore successu, quàm multis tantùm purgando noceant, facilè agnoscent.

5°. Quod tartari stibiati ægrotantium potulenta, ut aiunt, acuentis usum, his temporibus tàm solemnem, spectat, absit quidem ut quantùm illud commodi sæpèque utilitatis habeat, ipsi non agnoscamus; sed illi etiam aliquando magis diffidi velimus. Quippè non illud omnino stimulandi, irritandi, sic expers evadit. Quantùmvis aquâ diluatur, dividatur, non omninò fit inerme, semperque retinet quamdam naturæ fibras vellicantis partem. Indè quotiès in ventriculo & intestinis aderunt inertia, quædam atonia, magnum certè & innocuum auxilium erit. Quotiès etiam non ibi contrà aderunt tensio & vasculorum excernentium constrictio, tutò adhibebitur; sed si illam tensionem, illam constrictionem adesse indicio sint linguæ, oris, faucium siccitas, sitis, alvus nulla aut non nisi cruda excernens, febris incandescens, cutis rigiditas, ingens capitis dolor, generalis erethismus, tunc certè ex illius usu mala jam nata crescent. Exprimentur ægrè aquosæ dejectiones, vix in æquâ cum ingestis proportione, nec ut plurimùm quidquam è materiâ morbificâ detrahentes. Excretoriorum ostiolis magis indè strictis excernenda cùm retinendis miscebuntur; coctio retardabitur; nimis auctis obstaculis natura, jam malè luctans, tandem cedet & vincetur. Hinc adeò universalem hujus remedii

usum facilè proscribimus : hinc quomodò in ipso morborum statu, in magno febrium æstu, plerique, ab illius interruptione caventes, illud quotidie tàm securi adhibeant, non intelligimus : hinc illius cessatio sæpè nobis magnum remedium fuit: hinc tandem non dubitamus quin plurimi occumbant, qui sine illo servarentur.

Qamvis igitùr nec semper venæ sectio laudari, nec semper purgatio infamari debeat; quamvis imò maximæ sæpè laudes huic debeantur, tantaque sit hujus utilitas, ut eam sæpius, quàm ipsam venæ sectionem, applicandi sit locus, non minùs est inconcussum purgationem faciliùs & frequentiùs, quàm venæ sectionem, in abusum degenerare ; ab illâ quàm ab hâc faciliùs & frequentiùs detrimenta sequi ; tandèm illius æquo frequentiorem, hujus verò æquo rariorem, usum vulgò esse ; proindèque concludimus :

Ergò Venæ sectio minùs timidè, purgatio magis cautè, quàm vulgò fit, adhibenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Augustinus ROUX, *Regiæ Societatis rei Agrariæ, necnon Regiæ Scientiarum Academiæ Burdigalensis Socius.*

M. Petrus-Joannes-Claudius MAUDUYT DE LA VARENNE.

M. Natalis-Maria DE GEVIGLAND, *Regiorum in Germaniâ Ducum & militum Nosocomiorum nuper Medicus.*

M. Achilles-Guillelmus LE BEGUE DE PRESLE, *Eques, & Censor Regius.*

*M. Stephanus d'*HUAUME.

M. Carolus-Franciscus BOUTIGNY DESPREAUX.

M. Cæsar COSTE, *Censor Regius.*

M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTABOURG.

M. Petrus LALOUETTE, *Regii ordinis Eques.*

Proponebat Parisiis THOMAS LE TENNEUR, Gaveræus, Constantiensis, Doctor Medicus Cadomensis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor. A. R. S. H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1773.